



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. Quid, & quotuplex venditio, & circa quasnam res versetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

48. *Tenetur ne restituere Notarius, qui facit instrumentum usurarij manifesti contra formam cap. Quamquam, de usuris, in 6.*


Molin. Respondet *Molina* negatiuè; quia huiusmodi instrumentum est ipso iure nullum. Addit neque ad restitutionem teneri inducendū fœnerarium ad fœnerandum in gratiam fœneratarij indigentis.

49. *Plures haeredes usurarij tenentur ne in integrum restituant*

Molin. Ex *Molina* respondeo solum pro rata teneri, scilicet qui est ex dimidio hæres, dimidium debiti: qui ex tertio, tertiam partem; etiam si alij non restituant. Si quæ tamen res mutuatarij eadem superest, eam restituere tenetur quicumque habet, ex eiusdem *Doctoris* sententia.

50. *Iurauit quis non repetere usuras: tenetur ne? Poterit Ecclesia denunciare, & ipsa cogere restitui. Quid si iurauit non denunciare? Non tenet iuramentum; quia de re illicita.*

Saa. Sic *Saa.*




EXAMEN VI.

De Iustitia & iure, circa materiam primam de Contractibus onerosis, scilicet de Emptione & Venditione.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex Venditio, & circa quas res versetur.

1.  *Contractuum onerosorum primus est emptio. Quidnam est? Permutatio quadam, hoc est vicaria præstatio vnius pro alio; quæ in his consistit, quæ vendi possunt: & tunc perfecta censetur, quando vtraque ex parte facta est traditio.*

2. *Quidnam igitur contractus est emptio & venditio? Emptio quidem contractus est, qui consensu perficitur pretij pro mercede; venditio autem mercis pro pretio. Est in vtriusque contrahentis bonum, & per illum dominium transfertur. Si duobus vendatur, debetur primo; nisi secundo traditur.*

3. *Quid arrhus operatur? Si descendit emptor à contractu, illam amittit venditori. Si venditor, eam reddit, & tantumdem de suis bonis amittit emptori.*

4. *Quotuplex venditio?* Multiplex. Prima Naturalis, qua necessaria ad sustentationem sui, familiaeque emuntur; quae quidem licita est. Secunda Artificialis, qua res per industriam commutata venditur; etiam haec ex se bona, & licita Ecclesiasticis. Tertia negotiatio, qua res emuntur eo animo, ut non mutatae, carius vendantur ob lucrum; res est ex se indifferentis, & si debite fiat, moraliter bona, & Reipublicae utilis. Ex circumstantiis potest vitari, & Clericis prohibita est, si sint in sacris ut Beneficarij: Religiosis vero, etiam si in Sacris non sint, vetita est, ut quae personam tantam minime deceat. Per alios equidem probabile est, Clericos scandalo excluso posse negotiari; alioqui Clericus negotiator immunitatis a tributis, & vectigalibus amittit privilegium.

5. *Ex quibusnam rebus emptio & venditio potest illicita reddi?* Ex multis. Primo, ex rebus, quae vendi non possunt, ut sunt spiritualia, sacra quaedam, publicae res, homo liber, & similia. *Potest ne vendi res aliena?* Potest inter ignorantes; secus inter scientes. Porro nec inter ignorantes vendi potest ad effectum, ut eam dominus vindicare non possit: ideoque consultum est venditori, ut inuento emptore contractum rescindant.

6. *Dubitat emptor rem esse furtivam. Tenetur non emere. Si bona fide emit, & postea resciat esse furtivam? Tenetur domino reddere, aut venditori ad pretium recuperandum. Officia temporalia?* Ex natura rei vendi possunt: iure tamen humano prohibentur tum Civili, tum Canonico; nec quidem expedit huiusmodi officia vendi ob plurima mala, quae inde possunt oriri.

7. *Res propria ementis vendi ne potest?* Minime, & venditio est nulla, ubi vel non est conventio in pretio, vel non in re vendita, vel si error sit in substantia rei venditae. Secundo, illicita redditur venditio ex personis, vel quia iis prohibita est; ut Ecclesiasticis: vel quia male vendant, tum ex affectu inordinato ad lucrum, tum ex mendaciis & periuriis in re vendenda; vel quia iure communi prohibentur, ut *Judicibus* emere ~~prae~~ *tutoribus* res minorum, &c. Tertio, denique illicita fit ex loco sacro, ut si in Ecclesia fiat.